

5318-0  
DE FEBRIBUS

DISPUTATIO VI.

De

CONTINUIS

PERIODICIS,

*Cujus Theses,*

CUM DEO,

SUB PRÆSIDIO

DANIELIS SENNERTI, D.

& Facultatis Medicæ Prof. ac Senioris,

*Publicè defendendas suscipiet*


JOHANNES HENRICUS HELMANNUS,

Osterodâ Grubenhagiactus.

*die 9. Aprilis.*

In Auditorio Medicorum.

Horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH,

ANNO M DC XXVIII.

ts<sup>o</sup> athol. spec.

32 289, 32

Mb<sup>s</sup> spec 302

DEUTSCHLAND

OPHTHALMIA

OPHTHALMIA

OPHTHALMIA

OPHTHALMIA

OPHTHALMIA

OPHTHALMIA

OPHTHALMIA

OPHTHALMIA

OPHTHALMIA



Σὺν Θεῶ.

*T H E S I S I.*



**A**LTERUM Februm putridarum continua- *Febres conti-*  
rum genus, quod in specie continuas appellat, *nue periodi-*  
cas febres complectitur, quæ quidem continuo *ca.*  
durant, nec ullam intermissionem habent, an-  
tequam planè solvuntur, certis tamen periodis exacerban-  
tur; unde & continuæ periodicæ & proportionatæ appellan-  
tur.

II. Ut autem continentes febres ortum habent à sangui- *Causa eadem*  
ne corpori nutriendo dicato: ita continuæ periodicæ, sicut &  
intermittentes, proveniunt ab humore excrementitio & caco-  
chymia.

III. Itaque continuæ Periodicæ in eo conveniunt cum  
continentibus, quod utriusq; febris causa in vena cava conti-  
netur; cum intermittibus verò, quod utræq; ab humore  
excrementitio proveniunt. Differunt autem à continentibus,  
quod illæ à sanguine alimentario, hæ ab humore excrementi-  
tio ortum habent: ab intermittibus verò, quod materia  
continuarum periodicarum causa in secunda coctione gene-  
ratur, & in vena cava continetur: Materia verò intermitten-  
tium causa in prima coctione aut certè iis in locis, quæ citra  
epar sunt, & ad perfectam sanguificationem destinata nō sunt,  
continetur.

IV. Materia nimirum februm continuarum periodica-  
rum generatur in organis secundæ coctionis, si ipsa quacunq;  
de causa non rectè perficitur. Tunc enim vitiosi humores  
in secunda coctione generati cum sanguine in venas mittun-  
tur, qui ibi putrescentes febres has continuas periodicas ex-  
citant.

A 3

s. Quæ

*Continuitatis ratio.*

V. Quæ materia cum non solum sanguini confusa sit, ut in intermittentibus, sed ex ipsa prima origine ei verè pern ista, Natura eam etiam ante coctionem expellere non potest, & proinde febris à principio continuò durat. Exacerbationes tamen statis temporibus habent hæ febres, quia ab organis secundæ coctionis nova materia harum periodorum causa suppeditatur, & quidem ferè ab epate; unde & tertianæ continuæ sunt frequentissimæ.

*Exacerbationis.*

*Signa.*

VI. Cognoscuntur hæ febres in genere, quod nunquam ad ἀπορροήσιν deveniunt, certis tamen periodis exacerbantur, & remittunt. Neq; exacerbationem frigus, horror vel rigor antecedit, neq; remissionem sequitur sudor.

*Differentia.*

VII. Sunt autem febrium harum tres species. Aliæ enim alternis diebus exacerbantur, & à bile ortum habent, dicunturq; tertianæ continuæ: Aliæ singulis diebus, quæ à pituita proveniunt, & quotidianæ continuæ vocantur: Aliæ quarta die, & à Melancholia ortum habent, appellanturq; quartanæ continuæ.

*Tertianæ continuationis.*

VIII. Est nimirum tertiana continua febris putrida à sanguine cacochymico bilioso in vena cava putrescente ortum habens, continua quidem, sed tertio quoque die magis affligens.

*Causa.*

IX. Causæ hujus febris sunt omnia illa, quæ cacochymiam biliosam in venis cumulare, cumulataq; putredinem inducere possunt, quales supra sunt propositæ.

*Signa.*

X. Febris hæc cognoscitur ex eo, quod febris ipsa est continua, sed tertio quoque die exacerbatur. Ad sunt etiam alia febrium continuarum & ardentium signa & symptomata.

*Prognostica.*

XI. Quid verò de eventu sperandum sit, ex iis, quæ de ardentium febrium prognosticis dicta sunt, patet.

*Cursus.*

XII. Indicationem & Curationem quod attinet, febris hæc, si sit pura, cum sit maximè calida & ardens, & causa ejus calida & sicca, maximam refrigerationem, simulq; humectationem postulat, & plus quidem, quam ulla alia febris. Humor ipse quidem evacuationem indicat, sed cruditas plerumq; eam

eam

eam prohibet. Si autem febris sit notha, simul ad humorem, qui bili permiscetur, respiciendum: symptomatis quoq; si urgeant, occurrendum.

XIII. Ita q; venâ aperienda, quomodo & pars aliqua humoris vitiosi evacuatur, & sanguis ventilatur, simulq; à nobilioribus partibus revellitur. Et Natura ipsa quandoq; sanguinis evacuationem per nares in principio harum febrium instituere solet, quâ febris imminui solet. *Vena scissio.*

XIV. Aperienda autem vena in cubito in principio statim, aut certè in augmento, & sanguis satis copiosè pro ratione virium evacuetur.

XV. Purgationem verò, nisi materia turgeat, instituere non licet. Ut alvus tamen & primæ viæ, etiam ante veuæ sectionem, evacuentur summè necessarium est. Medicamenta autem, quæ id præstent, sint frigida & humida, non calida; aut si sint calida, frigidorum admistione temperentur. *Lenientia.*

XVI. Postea alterantia, refrigerantia scilicet & humectantia, exhibeantur, quæ simul humorem ad coctionem à Natura instituendam præparant; qualia sunt, *Syr. acetosus s. oxymel s. dilutius, Oxysacchara s. syrup. acetosæ, acetosellæ, acetositat. citri, granator. acid. Endiviæ, violar. cichorii, ribes, sem. 4 frigid. major. Portulacæ, Lactucæ, Fl. Nymph. Santalum, Aq. hordei, acetosæ, endiviæ, cichorii, fragorum, nymphae, Portulacæ, spec. diamargariti frigid. & similia.* Quibus & ad putredinem sistendam & inflammationem prohibendam spir. Oli & salis addi possunt. Commendatur & nitrum præparatum. *Alterantia.*

XVII. Si pituita admixta sit, aperientia & attenuantia addenda, radices fœniculi, asparagi, graminis & ex iis parata medicamenta.

XVIII. In bile porracea Joh. Langius lib. 3. epist. 1. cap. 4. Crystallum commendat.

XIX. Ad calorem temperandum etiam Topica utilia sunt, ut Epithemata, olea, unguenta è refrigerantibus parata, quæ cordi, epati, dorso applicantur. Videndum tamen, ne iis pori cutis claudantur, & transpiratio prohibeatur. Ideoq; ante *Topica.*

statum vix usurpanda, & non, nisi ubi calor per totum corpus æqualiter diffusus est. Et commodius est, si calida, quàm frigida applicentur.

XX. Concoctâ materiâ, ut Natura ad expulsiõnem stimuletur & roboraretur, ac materia vel per alvum vel per sudorem expelleretur, frigidam copiosè bibendam exhibebant antiqui, ut docet Galen. 9. meth. cap. 5. & 4. de rat. viñ. in acut.

*Purgatio.*

XXI. Si autem post coctionem Natura evacuationem non instituat, à Medico ea tentanda, syr. rosar. & violar. solutiv. pulp. tamarindorum, manna, rhabarbaro, tryphera Persica. Quæ scammonium recipiunt, non sunt exhibenda. Aliquando tamen aliquid Elect. ros. Mes. de Pssyllio & de succo rosar. admiscere licet.

*Urinam cientia.*

XXII. Ad urinam movendam utilis est in hisce febribus Emulsio sem. 4. frigid. major. cum sero lactis caprini, vel aquâ hordei & fragorum, aut cum decocto rad. Petroselini parata.

*Sudorifera.*

XXIII. Commode etiam sudores cientur medicamentis conveniētibus, quæ infra de febribus malignis proponuntur.

*Dieta.*

XXIV. Diæta sit tenuis, sed prout morbi status fuerit propior vel remotior, sit tenuior vel crassior. Cibus autem & potus refrigerandi & humectandi vim obtineat: Unde ptisana utilis cibus est in hisce febribus; Reliqui condiantur succo citri & granatorum. Potus sit Aq. hordei vel aqua cocta cum succo citri & saccharo, vel cerevisia tenuior. Aer sit frigidus, & si talis non sit naturâ, arte paretur.

XXV. Si bili pituita admista ac febris tertiana continua seu ardens notha sit, sanguis mittendus parcius: In præparatione humorum ea, quæ pituitam attenuant, addenda. Purgantibus admiscendus agaricus.

*Quotidiana continua.*

XXVI. Quotidiana continua, Barbaris Lactica dicta, quod quendam latentem & absconditum habeat calorem, est febris quidem continuo durans, singulis tamen diebus exacerbationem habens, à cacochymia pituitosa in vena cava proveniens.

27. Febris

XXVII. Febris enim hujus causa est pituita sanguini in vena cava permista, ibiq; putrescens. Et proinde incidunt in hanc febrem, qui sunt ætate, natura & corpore humidior, pueri & infantes, ut & senes, & qui habitu sunt corporis crassiore, ac crapulæ & otio dediti, in locis humidis habitant, non verò juvenes & biliosi.

XXIX. Signa febrium continuarum periodicarum, & *Signa.* in hac febre adsunt. Exacerbatio autem plerumq; fit circa vesperam. Calor primò mitis apparet, paulò post tamen fit acrior, & modò delitescere, modò augeri videtur, ob pituitæ, quæ putrescit, crassitiem. Pulsus non sunt ita celeres & frequentes. Urina, ut in aliis continuis, non est tam ignea & rubra, sed crassior. Nec alia symptomata, ut in febribus ardentibus, sunt tam vehementia.

XXIX. 1. Febris hæc ob humoris crassitiem est longa & *Prognostica.* curatu difficilis, & propterea periculo non vacat. Ac quò pituita est crassior, eò est pertinacior & longior. Unde non terminatur ante diem quadragesimum vel sexagesimum, & principum ante vigesimum non absolvitur.

XXX. 2. Minus tamen diu durat, in qua plures evacuationes accidunt. Longior etiam est pura, quam quæ bilem admistam habet. Et quò pejora adsunt symptomata, quoque virtus est debilior, eò est periculosior. Quæ si abfuerint, salus speranda est.

XXXI. 3. Ob febris diuturnitatem & epatis debilitatem, plerumq; ægri tandem in cachexiam & hydropem incidunt.

XXXII. Curationem quod attinet, febris hæc plus periculi habet ob causam, quàm ob calorem. Ideoq; cum à pituita pendeat, ea calefacienda, attenuanda, incidenda, & postea concocta & præparata evacuanda. Viriumq; & in primis ventriculi ac epatis habenda est ratio. *Curatio.*

XXXIII. Principiò ergò ventriculus & primæ viæ evacuentur clysteribus vel lenientibus medicamentis, vel vomitu materia in ventriculo hærens rejiciatur. *Lenientia.*

34. Etsi

*Vena febrilis.*

XXXIV. Etsi verò causa hujus febris sit frigida; quia tamen sanguini permista est, & putrescit, sanguinis aliquid venâ sectâ detrahi potest, si urinæ sint rubicundiores & crassiores, viresq; consentiant, ut natura oneris parte levetur.

*Præparantia  
& alterantia.*

XXXV. Postea præparatio & coctio materiæ tentanda attenuantibus, quæ non valde calefaciunt. In principio ergò utendum Syr. acetos. s. melle rosat. oxymelite s. Syr. de hyssopo, de betonica cum Aq. vel decocto capill. ♀. Asparagi, graminis, fœniculi, hyssopi, & ex iisdem plantis paratis aliis medicamentis, Spir. item ☉ & salis.

*Purgantia.*

XXXVI. Ubi aliqua coctionis signa apparuerint, lene aliquod pituitam purgans exhibendum ex agarico, foliis lenæ & similibus.

XXXVII. Hinc ad fortiora præparantia & purgantia accedendum, atque ita materia, quæ una vice coqui & evacuari non potest, per vices præparanda, coquenda & evacuanda.

XXXVIII. Et quia rarò pura datur quotidiana continua, sed vel bilis vel melancholia admista est, etiam ad hos humores respiciendum, & cichorium, fumaria, borrago & rhabarbarum ac folia lenæ addenda.

XXXIX. Postquam major materiæ pars evacuata, reliquæ per urinam & sudores medicamentis hisce scopis convenientibus evacuandæ sunt.

*Roborantia.*

XL. Cum verò morbi diuturnitate in primis ventriculus & epat lædantur, viscera hæc roboranda sunt, trochiscis de absinthio, de rhabarbaro, de rosis; Speciebus aromatici rosati, Diaxyloaloës.

*Dieta.*

XLI. Victus ratio sit attenuans, incidens & abstergens: Cibi boni succi, facilis coctionis & pauci excrementi: Pisces in hac febre non conveniunt. Cibi condiantur petroselino, fœniculo, thymo, hyssopo, satureiâ, roremarino, cinamomo.

XLII. In principio plenius non nihil alendum, ut æger ad statum morbi perdurare possit; statu verò appropinquante de victu sensim demendum. Si tamen cruditates in ventriculo & primis viis adsint, victu & cibo parciore primis tribus die-



diebus ea absumi & imminui possunt; postea victus ratio, qualem diximus, institui potest.

XLIII. In principio æger à vino abstineat, & utatur ejus loco hydromelite: si tamen consuetudo id postulet, detur vinum tenue & aquosum. Convenit & cerevisia tenuis. Apparente jam coctione vinum tutius conceditur, quo concoctio adjuvatur, ventriculus roboratur, & humores per urinam educuntur.

XLIV. Ad febres continuas pituitosas refertur & πυρετός ηπιάλια, febris epiala, quæ quidem & ipsa continua est & quotidiana, à reliquis tamen quotidianis eo differt, quod ægri eodem tempore simul rigorem & calorem percipiunt, calorq; & frigus simul per minimas universi corporis particulas dispersus est, ut docet Galenus, *de inæq. intemperie cap. 8. & 2. de differ. febr. cap. 6.* Febris epiala.

XLV. Galenus, loco modò allegato, hanc febrem ex acida & vitrea pituita putrescente deducit. Libro tamen *de inæquali intemper. cap. 8.* amaram bilem addit.

XLVI. Unde etiam, quod calor & frigus simul percipiuntur in uno loco in bilis & pituitæ permistionem refert, in alio, in pituitam vitream, cujus pars putrescens calorem, reliqua nondum putrescens rigorem excitet.

XLVII. Platerus tamen Epialas ad intermittentes refert, statuitq; eas generari, cum intermittentes Febres eodem die coincidunt, frigusq; unius, antequam calor alterius febris cessavit, incipit: vel etiam quando intermittentes cum continuis concurrunt, calorq; continuarum semper perseverat, accedente verò febrè intermittente fit horror & frigus.

XLVIII. Curatio hujus febris ab aliarum febrium pituitosarum curatione non multum differt: nisi quod fortiora attenuantia & incidentia requiruntur; cum major humoris in hac febre sit frigiditas & cruditas, quàm in aliis febribus. Etsi quoque humor ipse fortiora purgantia requirere videatur: tamen vires debiles ea non ferunt, ideoq; per *διήρησιν* evacuatio instituenda.

XLIX. Deinde ad has febres pituitosas pertinet etiam febris Febris synco-  
B palis.  
bris

bris Syncopalis humorosa Barbaris dicta, in qua humorum pituitosorum & crudorum major, quam in aliis febribus pituitosis, est copia, & præterea conjuncta est oris ventriculi debilitas, unde ægri facilè, in primis febre incipiente, in syncopen incidunt.

*Prognosticum.* L. Febris curatu difficilis est, cum ægri ob virium imbecillitatem & imminentem syncopen necessarias evacuationes non ferant. Et in primis si pulsus sit parvus, debilis & inæqualis, febris hæc valde periculosa est.

LI. Commodissimè verò fit evacuatio per frictiones, ut docet Galenus, 12. *method. med. cap. 3.* clysteres, & lenientia ac primas vias sine reliquorum humorum commotione evacuantia medicamenta.

LII. Primis viis evacuatis præparatio humorum & evacuatio, ut in aliis febribus pituitosis, instituenda, & medicamenta ad syncopen necessaria simul adhibenda.

LIII. Cibi sint pauci, tenuis substantiæ, coctu faciles & minimè pituitam generantes, iiq; sæpius exhibeantur. Potus sit vinum, quod nutriendi, calefaciendi, attenuandi vim habet, nec pituitam auget. Est & utile hydromel, in quo hyssopus ebullierit.

*Quartana continua.* LIV. Tandem Quartana continua est febris continua, cujus calor quidem continuo durat, quarto tamen die intenditur, à melancholia sanguini permixta in vena cava putrescente ortum habens.

*Causse.* LV. Causse nimirum est humor Melancholicus in vena cava putrescens: unde omnia, quæ melancholiam generare, in vena cava cumulare & putrefacere possunt, hujus febris causse sunt.

*Signa diagnostica.* LVI. Cognoscitur ex calore continuo quarto die invalescente, absq; tamen frigore, horrore aut rigore præcedente, vel subsequente sudore. Pulsus initio est parvus, tardus & submersus, postea magnus, plenus, & celerior, quam in intermittente, qui in statu magis intenditur.

*Prognostica.* LVII. Est verò hæc febris omnium rarissima, verum periculosa,

culosa, & intermittente quartana longe periculosior, viresq;  
valde dejicit. Extenditurq; hæc febris sæpè ad diem quadra-  
gesimum & ultra.

LVIII. Curatio eadem ferè instituenda, ut in Quartana.  
Et quia humor febris causa in vena cava continetur, & sangui-  
ni in vena cava permixtus est, initio statim venæ sectio institu-  
enda. Postea pituita præparanda & coquenda. Parcius tamen  
calescere & attenuare oportet, quàm in intermittentibus,  
plùs verò humectare, & addere, quæ fervorem continuum hu-  
moris putrescentis mitigant, qualia bili aliàs conveniunt.

*Curatio.*

LIX. Præparato humore purgatio instituatur, & purgan-  
tia exhibeatur postridie exacerbationis, quæ primò sint levio-  
ra. Quod si natura nullam crisin instituat, fortiora postea ex-  
hibenda.

LX. Possunt & post coctionem urinam cientia & sudori-  
fera exhiberi; sed minus calida, quàm in intermittente. Et cum  
vires valde dejiciantur in hac febre, confortantia ex borragine  
buglossa, melissa, fl. tunicis, anthos, citro, confectione alcher-  
mes & similibus parentur.

LXI. Diæta instituatur, ut in Quartanis intermittentibus.  
Victus tamen sit tenuior, & magis refrigeret, quàm in inter-  
mittentibus: cum & calor sit major, & status propior. Vini

*Diæta.*

ὀλιγοφάγος usus, etsi concedi possit, tamen sit parcius, quàm  
in intermittentibus. Et si calor sit major,  
planè à vino abstinendum.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and appears to be in a historical or scientific context.

Faint, illegible text, possibly a signature or a specific heading.

